Si multum reus es, reus illi porrige multum:
Quidquid peccaris, si vis, dimittit[1]) inultum.
Nec gratis recipit, que gratis protulit, ossa
Terra parens: homini precio datur, (h)aut prece fossa.
Solvitur argento nodus consanguinitatis,
Discidiumque malum fit jure sacro sociatis.
Venditur ere sacra benedictio, crismaque sacrum:
Sacra columba datur precio, fideique lavacrum.
Expulit a templo quondam Deus hoc facientes:
Perfert in[2]) templo similem modo rem repetentes[3]).

Omnis episcopus hoc faciens opus abiciatur,
Nec memorabilis, immo notabilis, hinc[4]) habeatur[5]).
Crimina talia sunt capitalia, plena pudoris,
Que Deus obruet aut cito destruet igne furoris.
Gallicus incola sic colit ydola, mente severa,
Principe demone, presule Simone, qui colit era.
Solaque Gallia simonialia nunc[6]) operatur,
Ydola nam tria[7]) cuncta per atria thurificatur[8]).

Proh pudor![9]) omnia crimina turpia prevaluere:[10])
Ut maledictio, sic benedictio venditur ere.
Venditur altaris cibus, hostia sanctificata,[11])
Indignis sua mors, set dignis vita beata.
Improbitas illum[12]) male vendit presbiterorum,
Hunc emit[13]) alta fides, emit hunc mens pura[14]) bonorum.
Est cibus iste Deus[15]) qui vite panis habetur:
Quisquis eum vendit, pro vita morte fruetur.
Suspensus laqueo Judas non totus obivit:
Altera pars ejus crepuit, pars altera vivit.
Servus adhuc dominum mutato nomine vendit:
Non animum mutat, quia mutua premia prendit[16]).
Ergo ferat meritas Judas cum Simone penas,
Tartareas subeat dampnatus uterque catenas.

In C folgt noch, doch abgesondert:
Fert contra morem retinens in matre pudorem,
Virgo creatorem, fert spina rosam, rosa florem.

---

1) dimittet C. 2) a C. 3) facientes A. B. 4) hic A. C. 5) teneatur A. 6) nec A. 7) Wie Giesebrecht bemerkt hat, ist Ydolatria zu verbinden. 8) Die folgenden Verse sind in allen 3 Hss. nicht getrennt, aber dem Sinn nach ist kein unmittelbarer Zusammenhang, und auch das Metrum wird vom dritten Vers ab ein anderes. 9) dolor A. 10) prava licere A. 11) a. Christus c. hostia sacra C. 12) illa C. 13) Nunc etenim a. f. salvat. spes p. b. A. 14) vita C. 15) dei C. 16) v. 67 und 68 fehlen A.